Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 1033
Quelle:
Copyright:

ut diversa manu bis praefixum ejus nomen contendere videtur, bis illum quoque in *Cantica* scripsisse oportet; praesens enim Expositio toto coelo abit ab ea, quam inter ejus *Opera* T. IV. *Colon.* 1688. *col.* 714. f. legimus. Reperitur vero ea in *Bibl. PP. Lugd.* T. XX. p. 1606. *Brunoni Astensi Signensium* Episcopo tributa, qui anno 1123. aut 25. diem clausit. Ad quam sententiam, ut aegre adducar, tria faciunt: Primo aetas Codicis nostri, quae *Brunonis* aetatem excedere videtur. Secundo, si etiam Codex *Brunoni* coaevus statuatur, difficultas explicandi, quomodo Librario coaevo *Brunonis* nomen ignotum fuisse potuerit. Tertio, Codex *Riccardianus* Sec. XII. *Florentiae*, in quo, teste *Job. Lamio Catal. Codd. Mss. p.* 83. praeter alia *Brunonis* hujus, longe diversa, eaque amplior et diffusior in *Cantica* Expositio ejus nomine insignita habetur. Igitur dicendum erit, *Brunonem* non tantum, ut ipse initio *Commentarii* sui *in Psal.* narrat, bis in *Psalterium*, sed etiam toties in *Cantica* commentatum fuisse, aut alius, isque antiquior Expositioni nostrae Autor quaerendus. Atque hic pace lectorum *Haymonem* ex Monacho *Fuldensi*, tum *Hersfeldiensi* Episcopum *Halberstadiensem* Sec. IX. scriptorem obsidem dabo, dum certa quis evincat. Hujus enim nomine praefixo una cum *Enarratione in XII. Prophetas minores* prodiit illa *Coloniae* 1533. 8. quam Editionem ignotam fuisse oportet *Mauro Marchesio* Operum *Brunonis Ast.* evulgatori.

III. *fol.* 74. Ejusdem *Haymonis Commentarius in Apocalypsin*, sed ἀνεπιγραφως. Initium: *Legimus in ecclesiastica historia beatum iohannem a domiciano impiissimo cæsarum* &c. Deficit in expositione initii C. I. his verbis: *Regnum autem solummodo ad caput. Particeps christi* — —. Extat integer *Colon.* 1531. 8.

IV. *fol.* 83. Brevis *Expositio X. Nominum Dei* ex Hebraico. Incipit: *Beatissimus hieronimus uir eruditissimus. multarumque linguarum peritus. hebreorum nominum primus interpretationem in latinam linguam conuertit* &c. Legitur pariter absque Autoris nomine T. III. *Opp. Hieronymi* edit. *Vallars. append.* 2. p. 729. ubi in expositione nominis *Sabaoth* post vocem *exercituum* haec desunt: *de quo in psalmo ab angelis dicitur; Quis est iste Rex gloriæ? dominus uirtutum. Sunt enim* &c. Sextum item Nomen, quod ibi legitur *Ebeie, id est, qui est*, nobis rectius sonat *Esereie*, אשר אהיה. Sed in nomine τετραγραμματῳ ante verba: *id est duabus JA*, noster inseruit: *iod. iod.* quod vitiosum.

V. *fol.* 84. *Incipiunt Benedictiones filiorum iacob.* Interjectum manu coaeva: *Rabanus episcopus.* L. IV. *Enarrationum in Genes.* c. 15. *Rabanus* has quidem Benedictiones explanat, sed hic de prolixiore ejus in illas Commentario agitur, quem *Trit-*